

manus Pontifex ex sese est infallibilis obtinetque proinde supremam auctoritatem magisterii cui omnis Ecclesia parere debet, qualis infallibilitas activa compellit alios Pastores eorumque coetui docenti antequam ipse Pontifex sententiam suam proferat. Quam quaestionem post priorem curabimus expedire.

IV. In actu definitionis duplicis veluti muneris exercitium distingui debet. Munus enim exercetur *testis*, quatenus repraesentatur divina traditio, et munus exercetur *iudicis* quatenus obortis quaestionibus controversia finitur sententia definitionis. Porro cum qui definit indicat etiam testatur; per se autem fieri potest ut testis munere fungatur quin iudicis partes agat si nulla est controversia finienda: historice vero constat definitiones sollemnes sive a Romana Sede sive ab oecumenicis conciliis non solere edi nisi praeventente aliqua controversia quae finienda sit. Imo pro hoc scopo potissimum postulatur infallibilitas alicuius magisterii viventis perpetuo; ut nempe peremptorie finiantur quaestiones, et certo sciatur quid credendum sit: unde penes theologos catholicos disputatio cum Protestantibus in hac re inscribi solet *de iudice controversiarum*. Quia vero magisterium Ecclesiae cum iudicat testatur, et in simplici testificatione infallibile esse debet ex Christi institutione, ideo seposita hac distinctione satis est quaerere an Romanus Pontifex cum ex cathedra docet, quo utrumque munus continetur, sit ex se infallibilis.

V. Nunc congregimur cum Gallicanis. Falsitas quidem horum sententiae negantis infallibilitatem Romani Pontificis evidens est vel ex solis superius demonstratis, ipsorum Gallicanorum principio recepto. Censent enim Gallicani sola oecumenica Concilia esse infallibilia, quia infallibilitas dos est supremae auctoritatis in Ecclesia, et haec in universitate Pastorum seu in conciliis oecumenicis reperitur; iam vero demonstravimus supremam potestatem, imo plenitudinem potestatis iurisdictionis cuius pars est auctoritas docendi, esse propriam unius Romani Pontificis cui universa Ecclesia non solum quoad singulas suas partes singillatim sed tota simul sumpta ad modum unius aedificii subest: ergo Romano Pontifici adserenda est quoque infallibilitas quae dos est supremae plenissimaeque potestatis. Verum quia res est magni momenti, oportet eam uberius pertractare. Sit itaque.

THESIS XXIV.

Romanus Pontifex ex cathedra loquens, id est cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, est ex sese infallibilis, ideoque eius definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles sunt. (Ex Conc. Vat. Sess. IV, c. 4).

I. Declarationis Gallicanae Articulus 4^{us} aiebat: « In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere: nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit ». Cuiusmodi essent istae praecipue partes, et cur decreta in quaestionibus fidei reformabilia pertinerent ad omnes et singulas Ecclesias, nunquam aut definire aut declarare potuerunt Gallicani. Alexander VIII quatuor articulos huius declarationis Constitutione *Inter multiplices* declaravit ipso iure nullos, irritos, invalidos, inanes ab ipso initio fuisse, et esse, ac perpetuo fore; idemque potestatis plenitudine improbat, cassat, annullat etc. Idem propositionem hanc paulo post proscripsit: « Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus discernendis infallibilitate ». Sixtus IV iam Petri de Osma propos. 1^a damnaverat: « Romana Ecclesia errare potest ». Pius vero VI in Bulla *Auctorem fidei* Pistoriensium audaciam, qui articulos Gallicanos in decreto de Fide insidiosae incluserant, reprobavit rursus et damnavit. Veritas tandem catholica sollemni iudicio definita est in Concilio Vaticano. Haec nunc defendenda theologice est.

Itaque advertatur quod, secundum verba ipsa definitionis, Romanus Pontifex spectatur *formaliter* prout est caput totius corporis Ecclesiae, Pastor totius gregis, Vicarius Christi: ideoque prout exercet proprium officium docendi, definiendi, declarandi veram fidem, salutareque leges morum, atque ea quae cum ipsis connexa sunt, et ad ea requiruntur: et ita consulit unitati fidei et communionis Ecclesiae, morumque fidelium sanctitati. Infallibilitatem Romani Pontificis loquentis ex cathedra primum perspicua auctoritate Scripturarum, tum perenni et universali Ecclesiae praedicatione atque praxi demonstrare oportebit.

II. A) Matth. XVI, 18. Petrus eiusque Successores Romani Pontifices dicuntur *Petra Ecclesiae*: petra nempe cui tanquam fundamento innixa ab eoque solidata totius Ecclesiae aedificatio consurgit,

et in unum aedificium coalescit. Iam vero Ecclesiae aedificium primo construitur fide, qua in unam societatem credentium adunantur eius membra: « Ecclesia enim, teste Ambrosio Offic. L. III, c. 3. est congregatio, quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et charitatis adsurgit. » Atqui si Petrus est Petra Ecclesiae, principium scilicet efficiens unitatis et stabilitatis ipsius (Cf. Th. I), necesse est ut sit *Petra fidei*, principium nempe unitatis et stabilitatis fidei Ecclesiae: est enim Petra Ecclesiae prout haec formaliter Ecclesia est, societas nempe profitentium veram fidem; Petra vero fidei Petrus esse nequit nisi per fidem: fides igitur Petri fundamentum est fidei Ecclesiae, seu principium efficiens eius unitatis et stabilitatis: « Fides ergo (ait Ambrosius De Incarn. L. V.) est Ecclesiae fundamentum: non enim de carne Petri, sed de fide (Petri) dictum est, quia portae mortis non praevalerunt ». Huc facit ea frequens interpretatio Patrum, qui *Petram* exponunt *fidem*, quam dedimus et explicavimus in Th. I. Unde a Patribus Petrus praedicatur Petra fidei; (Asterius Amasenum Episcopus hom. VIII in SS. Petrum et Paulum, S. Leo epist. ad Maximum Antiochenum, Epiphanius adv. haeres. L. II, h. 59.) eodemque titulo insignitur Petrus a graeca Ecclesia in menologio die 29 Iun.: « Super Petram theologiae suae firmavit Dominus Iesus Ecclesiam immobilem, in qua, Apostole Petre, te glorificamus! Tu animabus fidelibus positus est Petra fundamentalis, magni pretii, Petre petra fidei! » Inter titulos quibus ab Ecclesia Russiaca honestatur S. Petrus (in Opere Omaggio Cattolico pag. 435 seqq.) occurrunt *petra fidei*, *fundamentum fidei*, *basis immobilis dogmatum*, *sedes fidei*, *principium orthodoxiae*.

Si ergo quaeratur quaenam sit habitudo huius Petrae fidei ad fidem Ecclesiae, evidens est ex ipsis terminis soliditatem, immobilitatem, constantiam fidei Ecclesiae ab hac Petra, h. e. a fide Petri pendere, et, ut aiunt Patres, nos in apostolicae confessionis petra solidatos esse, atque per Petrum verum ac fidelem pietatis doctorem effectum Ecclesiarum stabilem inflexamque firmitatem consistere; atque orthodoxae fidei rectitudinem fundatam esse supra firmam petram Principis Apostolorum, atque a Romano Pontifice accipiendam fidei certitudinem: Ecclesiae caelo inferendam sublimitatem in Petri fidei firmitate consurgere; in confessione Petri stabiliri fundamentum (cf. Asterium l. c., sacr. liturgiam in vig. Apostol. Petri et Pauli; epist. Agatonis lectam in Conc. VI; Theodorum Studitam epist. ad Leonem Sacellarium: Leonem serm. de assumpt. sua IV, Theophanem Cerameum hom. LV in evang.). Porro si soliditas, immobilitas, firmitas fidei Ecclesiae ab hac Petra dependet, ergo hic est habitus inter Petrum et Ecclesiam, ut 1) fides Ecclesiae firma non

sit sine fide Petri: ut 2) fides Petri sit ex sese firma: ut 3) non sit maior firmitas in fide Ecclesiae, quam in fide Petri. Iam vero fides labilis, deficiens non est fides firma: firmitas fidei Ecclesiae in eius infallibilitate est posita; si porro Romanus Pontifex errare potest, fides eius labilis esset et deficiens, nequiret idcirco firmare fidem Ecclesiae, nec gauderet ea firmitate qua fides Ecclesiae gaudet. Ergo Romanus Pontifex Petra fidei est ex se infallibilis. Infallibilis autem prout est Petra h. e. prout refertur ad Ecclesiam sibi innixam, infallibilis scilicet est prout munus exercet supremi Pastoris; magisterium ergo, quod pro suprema sua auctoritate exercet Romanus Pontifex, est ex se immune ab errore.

Et sane, ut vidimus Th. I ideo non sunt praevaliturae portae inferi contra Ecclesiam, quia Ecclesia supra hanc firmam Petram est fundata: unde a firmitate Petrae repetenda est ratio cur firma sit Ecclesia contra portas inferi. Portae vero inferi, vel earum aggressiones aut arma sunt potissimum haereses et schismata; haereses ergo non praevalerunt contra fidem Ecclesiae, quia fides Ecclesiae firmitatem habet a Petra. Itaque 1) nunquam praevalerunt portae inferi contra fidem Petrae: secus enim et praevalere possent contra Ecclesiam: 2) firmitas fidei Ecclesiae contra haereses pendet a firmitate fidei Petrae, quae ex se firma est, nec minus firma esse potest quam ipsa Ecclesia. Ergo Romanus Pontifex, qui est huiusmodi Petra fidei, est infallibilis, et ex se infallibilis. Hinc Ambrosius l. c. concludit: « Cum Ecclesia multis tamquam bona navis fluctibus saepe tundatur; adversus omnes haereses debet valere Ecclesiae fundamentum ».

Praeterea Romanus Pontifex claves habet regni caelorum: potestate autem clavium et supremum magisterium continetur. Huiusmodi enim regnum est regnum credentium, est regnum veritatis: quod doctrina caelesti pasci et regi debet. Suprema ergo potestas, qua regitur hoc regnum, est potestas quoque suprema docendi, praescribendi nempe regulam fidei, obligandique fideles ad fidem. Hinc claves datae Petro dicuntur quoque a Patribus *claves fidei* (Theodorus Studita: epist. 53 ad Naucraticum: Maximus Martyr ad Marinum Diaconum): et potestatem docendi Patres ad potestatem referunt clavium et ligandi atque solvendi. Cum enim Leo dixisset Serm. 4^o: « Ecclesiae meae inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgit. Hanc confessionem portae inferi non tenebunt », subdit: « Propter quod dicitur beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni caelorum, et quaecumque ligaveris etc. » Et Hilarius Pictaviensis De Trinit. L. VI, c. 38: « Sit sane fides alia (ac fides Petri) si claves aliae regni caelorum sunt: sit fides alia si erit alius apostolatus, ligata et soluta per se in terra ligans et in caelo atque solvens ». Et Epiphanius in

Ancor. n. 9: « Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est qui caeli clavem accepit, et in terris solvit et ligat ». Atqui potestas clavium Petro suisque successoribus facta, est potestas universalis, suprema, independens, fons et origo potestatis in aliis, potestas irrefragabilis, cuius sententia peremptoria est (Cf. Th. I); ergo et potestas docendi talis est, supremum nempe et universale magisterium, independens, irrefragabile, cuius sententia peremptoria sit: atqui huiusmodi magisterium infallibile ex se esse necessarium est, infallibile quidem, quia irrefragabile est et peremptorium, infallibile vero ex sese quia supremum et independens, a quo omnes dirigendi, dirigendum a nullo.

Hanc interpretationem verborum *Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam* catholicam esse, et a nullo catholico respui posse docemur a formula fidei praescripta ab Hormisda Episcopis Orientalibus, et ab Hadriano II Patribus Synodi VIII, et ab iisdem omnibus priore et altera vice suscripta: « Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri I. C. praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*, haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper conservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes... et sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et praedicantes eius omnia constituta, speramus ut in una communione vobiscum quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et verax Christianae religionis soliditas ». Itaque ex testimonio Matthaei sicut probatur primatus iurisdictionis Romani Pontificis, ita eiusdem supremum magisterium illudque infallibile demonstratur.

B) Luc. XXII, 31 seqq. Iam Thesi II probavimus tum verba Christi: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, spectare ad unum Simonem Petrum: tum de vera fide sermonem ibi esse. Probandum est autem nunc his verbis iniungi Petro munus et officium perpetuum, derivandum scilicet in suos successores.

Sane constat 1) nihil esse in contextu Lucae quod exigit indeficientiam fidei Petri et confirmationem fratrum limitandam esse ad tempus aliquod determinatum puta ad tempus praesens, vel immediate subsequens passionem Christi; verba enim Christi indefinite patent, loquiturque Christus de oppugnatione Satanae, qui nunquam cessaturus est oppugnare Ecclesiam: constat 2) ea esse quae postulant ut indeficientia fidei, et officium impositum confirmandi perpe-

tuum intelligatur. Nam a) oppugnatione Satanae contra fratres Petri, cui opponitur fides stabilis Petri, futura est perpetua. b) Qui iubetur esse confirmator fratrum contra oppugnationes Satanae ille est qui iam designatus est Petra Ecclesiae contra portas inferi; confirmare vero officium est proprium Petrae quae stabilitate sua firmum facit aedificium, et est eiusdem *στρωγγυα*: cum ergo Petra Ecclesiae, eiusque officium sit perpetuum, etiam officium confirmandi fratres perpetuum sit oportet. Ideo et indeficientia fidei Petri quae propter hoc officium exorata est, perpetua erit. c) Officium confirmandi in fide fratres est officium certe Apostolicum, sicut et officium docendi, cuius est absolutio, est officium Pastoris; atqui huiusmodi officia Christus voluit esse perpetua in Ecclesia derivanda in successores eorum, quibus primo ipse commisit: ergo officium confirmandi fratres transit in omnes successores Petri. Ergo in eos quoque transit indeficientia fidei quam Christus ideo obtinuit ut illud munus exsequi posset Petrus. d) Traditio Ecclesiae exegetica hanc postulat interpretationem. Pollicitationem enim indeficientis fidei, et officium confirmandi fratres referunt ad Petrum, prout est fundamentum Ecclesiae, et ad eius successores Ambrosius De Fide L. IV, c. 5. Leo M. Serm. IV; Gelasius epist. V ad Honorium Episc. Dalmatiae, Pelagius II. epist. V ad Episcopos Istriae, Gregorius M. epist. L. VII epist. 40. Theodorus Studita epist. L. II. epist. 12. Menologium graecorum die 30 Iunii; Sophronius Patriarca hierosolym. et Stephanus Episcopus dorensis in libello lecto in Concilio Lateranensi sub Martino I. Vitalianus Papa epist. I ad Paulum archiepiscopum cretensem, Agato in epistola dogmatica lecta et approbata in synodo oecumenica VI Acti. 4^o. Leo IX in epist. ad Michaellem Cerularium, Innocentius III epist. 306, L. I ad Patriarcham Constantinop. Bernardus epist. 190. ad Innocentium II. Clemens VI epist. ad Episcopos graecorum (Oderic. Raynaldi an. 1343, n. 16). Gerhohus in exposit. in Psal. 64^o n. 59 (Gallandi XIV). S. Thomas II^o II^o q. I, a. 10. Bessarion epistola encyclica ad suos, Gregorius Trapezuntius De una sancta catholica Ecclesia n. 7. Ioannes Plusiadenus in Dissertat. pro Florentina Synodo. S. Ioannes a Capistrano De Papae et concilii sive Ecclesiae auctoritate p. 3^a 2^{ae} partis principalis in quaestione de maiori parte Papae et Concilii, tum quoque Episcopi Gallicanae Ecclesiae in litteris communi nomine datis ad Innocentium X 15 Iulii 1653; et tandem Concilium Vaticanum Sess. IV, c. 4.

Porro, ut iam Th. II advertimus, qui confirmandi sunt, non sunt tantum fratres singillatim, set et fratres omnes una sumpti. Nam tantum pro fide unius Petri distincti ab omnibus aliis Christus *speciatim* oravit, et in indeficientia illius fidei praesidium constituit pro

omnibus aliis: non ergo 1) oravit speciatim pro fide totius collegii, et in huius fide praesidium constituit: ergo 2) fide unius Petri confirmandi sunt omnes qui non sint ipsa persona Petri; atqui et omnes fratres Petri simul collecti sunt distincti a persona Petri. Sane fratres Petri non sunt nisi ii qui unum corpus cum Petro capite constituunt: membra vero unum corpus constituentia sunt formaliter unita; maxime ergo propria est intelligentia horum verborum *fratres tuos*, ut fratres uniti in unum corpus, coetumve coacti intelligantur. Scite arguit S. Ioannes a Capistrano l. c. in argum. 14^o contra eos qui contendebant Petrum accepisse a Christo potestatem super singularia membra, non autem super universalem Ecclesiam: « Cupio dissolvi et esse cum Christo, ut ab eius ore sanctissimo percipere queam si super membra unita est caput, vel divisa. Si dicas super unita; ergo super universum corpus politicum, de quo dicit Apostolus Ephes. IV. unum corpus et unus spiritus. Si dicas super divisa; ergo super te schismatice, qui te ab unitate corporis rescidisti ». Hinc decretorum fidei ne dum a singulis Episcopis aut particularibus Synodis, sed et ab oecumenicis Synodis prolatorum postulata Romani Pontificis confirmatio, « cuius auctoritate atque sanctione omnes Synodi et sancta concilia roborantur et stabilitatem sumunt » (Nicolaus I l. c. supra), ut « nulla unquam Synodus rata legatur quae apostolica auctoritate non fuerit fulta » (Pelagius II ep. VIII ad Ioannem Constant. etc.), « cuius auctoritatem semper omnis catholica Ecclesia, et universales synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt... quoniam Dominus et Salvator omnium, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum suos fratres admonuit » (Agato ep. cit.).

Itaque si invicem conferantur Romanus Pontifex et ceteri eius fratres seu Episcopi sive singuli sive omnes simul, fides illius est fides confirmans, horum est fides confirmanda. Nempe fides totius Ecclesiae firma esse debet: sed fides fratrum non habet ex se firmitatem, habet autem a fide Capitis, qui est Romanus Pontifex, fides vero huius firmitatem impertit fidei ceterorum, non mutuatur ab ullo ex ipsis, sed tantum a Christo. Nequit autem fides Romani Pontificis eam firmitatem conferre quam ipsa non habeat in se ipsa. Tota ergo firmitas fidei quae in Ecclesia reperitur, iam est antecedenter veluti in sua origine in fide Romana. Atqui firmitas fidei Ecclesiae est infallibilitas: ergo fides Romani Pontificis est in se ipsa antecedenter infallibilis.

Confirmat autem fratres Romanus Pontifex non fide sua privata, prout talis manet, sed fide sua publica seu magisterio authentico quo fidem suam ab Ecclesia tenendam proponit: ergo magisterium Romani Pontificis ex se infallibile est.

Obiici solet fieri non posse ut verba haec Christi ad successores Petri pertineant. Nam propter Christi promissionem Petrus assecutus est ne unquam vel cum private loqueretur erraret in fide: atqui talis indeficientia fidei, ipsis catholicis doctoribus haud dissentientibus, non competit successoribus Petri; ergo. Respondemus distinctionem adhibendam esse, quam adversarii nimis frequenter negligunt inter praerogativas ordinarias et extraordinarias Apostolorum. Quod Petrus semper cum de fide loqueretur aut scriberet infallibilis foret, id quidem concedimus; hoc enim erat privilegium ipsi commune cum ceteris Apostolis, sed privilegium extraordinarium. Negamus autem hoc privilegium per se colligi ex his verbis Christi, de quibus disputamus. Nam indeficientia fidei exorata a Christo pro Petro eo spectat ut valeat confirmare fratres: ea ergo tantum indeficientia fidei necessario est intelligenda quae pro munere confirmatoris fratrum exercendo requiritur; haec autem non est fides private loquentis, sed fides fungentis munere doctoris fratrum, seu utentis auctoritate magisterii propria eius qui caput est fratrum. Cf. quae dicemus in fine Th. XXXI.

C) Dedimus in Th. III interpretationem verborum Christi penes Ioannem XXI. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*: iis infallibilitatem quoque magisterii contineri est nunc breviter demonstrandum. Sane Petrus et quilibet eius successor constitutus est iis verbis Christi Pastor supremus, universalis, immediatus omnium fidelium, quotquot ad Ecclesiam spectant, quotquot nempe sunt agni aut oves Christi; omnium ergo tum simplicium fidelium, tum episcoporum. Pastor autem omnium est non solum singillatim, sed et simul sumptorum, ut etiam simul sumpti quocumque modo sint pascendi ab ipso, non pascant ipsum. Nam omnes qui in Ecclesia sunt praeter Petrum comparantur ad ipsum sicut oves et agni ad Pastorem: atqui oves et agni etiam simul sumpti non nisi in ordine pascendorum et regendorum continentur, nec pastorem aut rectorem suum pascere aut regere possunt: ergo fideles quotquot ad Ecclesiam spectant repraesentati per agnos et oves, etiam simul sumpti, sunt pascendi et regendi a Petro, non pascunt aut regunt eum. Praeterea Pastor sive rector omnium ille est qui est Petra aedificii quod est Ecclesia, et claves habens regni; qui nimirum auctoritate sua immediate refertur ad Ecclesiam prout est unum corpus ex pluribus collectum et adunatum; ergo Pastor est omnium simul sumptorum quocumque modo. Itaque ius et officium est Romani Pontificis pascendi omnes: obligatio est omnium sequendi illum, eique parendi. Pascenda est autem seu regenda universa Ecclesia verbo quoque doctrinae quae authentice proponatur, cui assensum fidei fideles praestare teneantur. Mu-